





DISSERTATIONEM INAUGURALEM
DE

SECVRITATE RELIGIONIS

AVSPICIIS DEI OPTIMI MAXIMI

RECTORE ACADEMIAE IENENSIS MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

DOMINO

WILHELMO HENRICO

DVCE SAXONIAE, IVLIACI, CLIVIAE, MONTIVM
ANGARIAE, WESTPHALIAEQVE, RELIQVA

SVB MODERAMINE

IOANNIS PHILIPPI SLEVOGTII, D.

SERENISSIMIS SAXONIAE DVCIBVS ERNESTINAE PROSAPIAE
A CONSILIIS AVLICIS, ACADEMIAE SENIORIS, ANTE-
CESSORIS ET COLLEGIORVM IVRIDICORVM PRAESIDIS
ORDINARII CVRIAEQVE PROVINCIALIS
ASSESSORIS

*PATRONI ET PROMOTORIS SVI PIA ANIMI
VENERATIONE COLENDI*

PRO LICENTIA

SVMOS IN VTROQVE IVRE HONORES ET PRIVILEGIA
DOCTORALIA RITE CAPESSENDI

IN AVDITORIO IVRECONSULTORV
DIE SEPTEMERIS MDCCXXII

HORIS ANTE ET POST MERIDIEM CONSVETI
BENEVOLAE ERVDITORVM VENTILATI

SVBIICIT

FRIDER. ERNESTVS GABLERVS

HARTENRODENSIS

PRAEFECTVRAE ALTENBURGENSIS ADVOCATVS.

IENAE LITTERIS FICKELSCHERRIANIS.

IN NOMINE DOMINI AMEN

ACTUM IN CIVITATE BRESLAVIA

ANNO

DOMINI MDCCLXXII

WILHELMUS HENRICO

BY APPOINTMENT OF HIS MAJESTY

BY APPOINTMENT OF HIS MAJESTY

BY APPOINTMENT OF HIS MAJESTY

JOHANNES PAULI DE SMOGODZIN

BY APPOINTMENT OF HIS MAJESTY


BY APPOINTMENT OF HIS MAJESTY

BY APPOINTMENT OF HIS MAJESTY

FRANCISCVS DE WILHELMIS


PROTESTANTIA

BY APPOINTMENT OF HIS MAJESTY



FRANCISCVS DE WILHELMIS

BY APPOINTMENT OF HIS MAJESTY



Q. D. B. V.

§. I.

Religionem, quam per *ratio-* Religio quid?
nem diuinum Numen colendi, con- Est necessaria
ceptu maxime diffuso, definimus, & utilis.
adeo civili societati *necessariam* &
utilem habendam esse, conclama-
tum est, vt sine illa salua hæc, atque illibata
huius iura perstare non valeant. Nam *pietate*
erga DEVM sublata, *fidem etiam* & *societa-*
tem humani generis, & *vnam excellentissi-*
mam virtutem, iustitiam, tolli, iam olim credi-
dit facundissimus Romanorum; cum contra
religio humana societatis fundamentum & *ma-*
gistratus propugnaculum sit, Cicero de natur.
Deor. I. Cui elegantissime ita suum addit cal-
culum Henricus ab Henniges, de sum. Imperat.
Rom. potest. circa sacr. c. 1. §. 1. Prudens, in-
quiens, *circa religionem ordinatio, omnis civilis*
vita fundamentum, & *necessarius reipublica*
A 2 nexus

nexus est, quo & princeps cum ciuibus, & ciues inter se, arctissime colligantur; quibus vinculis solutis, non magistratibus timor, non ciuibus fides constat. Conferantur heic vtilissime Arnifæus de iur. maiest. cap. 6. n. 1. Reinking de republ. eccles. & secul. L. III. cl. 1. cap. 1. n. 5. seq. Grotius de verit. relig. Christiana. Pufendorfii Einleitung zur Historie, c. 12. §. 4.

§. II.

Sed debet esse secura.

Sicut autem sanus nemo inuenietur, qui hoc serio negare animum inducat: ita summa ista & necessitas, & vtilitas politica, sua vi suaque virtute, ipso facto destituitur, quando nulla in republica religioni est securitas. Gratis enim extollis necessitatem rei, quam colere impediris; & exigui momenti eius est vtilitas, qua tuto vti non datum est.

§. III.

Securitas religionis quid?

Eiusmodi itaque religionis securitas nobis describitur per *conditionem cultus diuini, secundum quam hic in ciuitate, vel dititione quadam, tuto exercetur, & ab imperante defenditur.*

§. IV.

Hanc præstat maiestas.

Imperans regulariter ille nobis audit, cui maiestas competit, quæ suo iure meritoque istam conditionem præstat; conf. *can. 21. q. 5.*

c. 23.

c. 23. siquidem *suprema & libera regendi ciuilem societatem, ad finem propositum, potestas est, Zieglerus de iur. mai. L. 1. c. 1.* Finem constituo salutem publicam. Cum igitur religio istam singulari plane virtute promoueat, hæc que in ipsa republica contineatur, foueatur, nutriatur; & subiectiue, quod vocant, ab ea nihil differat: non potest non circa illam imperantis sese exerere potentia politica. Quapropter Imperator *Nov. 137. in præf. Si ciuiles leges, quarum potestatem nobis Deus, pro sua in homines benignitate, credidit, firmas ab omnibus custodiri, ad obedientium securitatem, studemus: quanto plus studii adhibere debemus, circa sacrorum canonum ac diuinarum legum custodiam.* Obseruatu autem dignum est discrimen, quod Petrus de Marca *lib. II. de Concordia Sacerdotii & Imperii, Cap. 6. num. 6.* docet: Regibus summo Imperio multa peragere liberum esse: quam effusam licentiam suis Apostolis Christus ademerit, ita, vt verus dominatus sit penes Reges, non autem penes sacerdotes; quorum potestas non sit despotica, sed temperata, & ad populorum usum accommodata; ita, vt Monarchia apud pontifices ecclesiastica ex Aristocratico regimine sit commixta; contra quam accidat in plerisque regnis, quæ jure optimo a Principibus

possideantur. Quod firmatur mirifice ex assertis
maiestati iuribus circa sacra, quæ strenue vindi-
carunt H. Grotius *de imperio summar. potestat.
circa sacra*. Arnisæus *de iur. mai. lib. II. c. 6*. Vlríc.
Huberus, *de ciuit. L. 1. sect. V. cap. 1*. Ziegler. *c. l.
L. 1. c. 13*. Io. Otto Tabor, *de regim. imper. eccle-
siastico*. Henniges *de summa imperat. R. potest.
circa sacra*, aliique quam plurimi, vt melio-
ra nunc moliri temerarium & superuacaneum
foret. At enimvero in Imperio Romano Ger-
manico Statibus immediatis protestantibus,
quamuis absque maiestate proprie sic dicta,
circa sacra, & concedendam secundum leges
fundamentales religionis securitatem, compe-
tunt iura propemodum maiestatica: hinc im-
perantium nomine in posterum quoque
omnes complectemur.

In Imperio
Rom. Geran.
Statibus Imme-
diati.

§. V.

Securitas est
vel publica
vel priuata.

Est nostra securitas nunc *publica*, nunc
priuata, prout religio ista ab exercitio nunc
publica, nunc *priuata* dicitur.

§. VI.

Securitas pri-
uata vel in
specie talis,
vel domesti-
ca est.

Priuatam securitatem, pro nostro con-
ceptu, in eam, quæ in *specie talis* est, & *do-
mesticam* dispescere, haud incongruum fue-
rit. Illa versatur circa religionem priua-
tam in specie talem: per quam significamus

ratio-

rationem cultus divini, publico amulam, qua ille in loco, & ex instituto privato, a personis, eius causa cœuntibus, exercetur & peragitur. conf. Auctor *Meditat. ad Inst. P. W. Art. V. §. 31. not. d.* Apparet inde sacrificium illud paschale, cuius ex Philone mentionem iniicit celeberr. Boehmerus, in *diff. de priv. legat. sacris, c. 1. §. 6.* nequaquam priuatum, sed plane fuisse publicum cultum. Fuit autem priuata religio imperantibus tantum non semper infensa & suspecta. Ipse summus Deus peculiaribus sanctissimisque ex rationibus, ad præscindendam in primis idololatriæ occasionem, eam interdixit Israelitis, publicam religionem, per certas personas administrandam, sub pœna mortis constituens. *Num. 3. v. 10. & cap. 18. v. 7.* Romani ob causas politicas eam prohibuerunt. Cicero *de leg. 2.* legem ipsam refert: *Separatim nemo habessit Deos, neue nouos: sed ne aduenas, nisi publice adscitos, priuatim colunt.* conf. Rittershusium *in iure Iustiniano, P. 1. c. 1. n. 4.* Peregrinarum autem religionum auctores odio & supplicio prosequendos esse: quod, qui noua Numina intröducerent, multos ad peregrinarum legum amorem pellicerent; inde conciliabula, coniurationes & seditione-

Religio priuata in specie talis quid?

ditiones existere, vti sapientissime censet, qui inter principes amicorum, id est consiliariorum Augusti fuit, Mæcenas, apud Dionem Cassium, *Hist. Rom. lib. LII.* Hinc solius odio peregrinitatis, siue nouitatis, tot horrendæ persecutiones, tot cruenta in Christianos supplicia, quamuis nullius criminis inuenirentur noxii. Plinius *epist. Lib. X. ep. 97.* Sed & ab ipsis Christianis priuata religio, non tantum olim, siue vera esset *l. 15. C. de episc. & cler. Nouell. 58. & 131. c. 8. & 14.* siue falsa & hæretica *l. 3. & l. 14. C. de hæret. & manich. Nouell. 37. & 132.* vetita est: verum superioribus quoque seculis, & hodie non minus, in Hispania, Gallia, Italia, atque alibi passim, plusquam pagana tyrannide prosequuntur pontificii, quotquot ab eorum in religione sententiis & traditionibus recesserunt, repurgatam euangelii doctrinam profitentes, & hinc sua sibi habentes sacra. Causaque tantarum irarum ac sæuitiæ, non religiosus veri sanctique, & æternæ omnium salutis amor, sed ratio status, ad seruanda & augenda huius mundi bona vnice tendens, quique apud clerum maxime valet, & quondam psittacos etiam suum *χρῆστος* docuit, venter. Sane si priuatim is religionis cultus exercetur

ceatur, qui publice receptus est, quamuis nihil ille ab hoc discrepet; quia tamen ea occasione facile possunt obrepere, quæ corruptionem doctrinæ generent, ac degenerent in hæreses, in tolerando eiusmodi religionis exercitio summa recte adhibetur cautio, & suboriente abusus periculo, non tantummodo potest vetari, sed etiam, ubi peruicacia auxerit suspicionem ac periculum, poenis inhiberi ac penitus tolli, *conf. l. 3. pr. & §. 1. ff. de colleg. & corpor.*

§. VII.

Vides, quantopere consensus & ratihabitio imperantis necessaria sit, vt priuata religionis securitas obtineatur. Illa vero nunc *sponte* præstatur, nunc ex *iuris vinculo, & obligationis* quadam *necessitate*. Sponte nobis fieri dicitur, quidquid ex libero arbitrio, nullave necessitate morali, procedit. Quale olim erat, quod Leo Imperator in omnium & potentiorum domibus sacraria, & in his baptismum quoque fieri concederet, *Novell. constit. 4. & §. conf. celeb. Boehmerus, de prius. legat. sacr. c. 1. §. 17.* quod Gregorius Papa Iudaicæ religionis exercitium Neapoli confirmaret & defenderet, *can. 3. d. 45.* quod Status Imperii

Securitas
priuata nunc
sponte præ-
statur, nunc
ex obligatio-
ne iuris.

B

quo-

quoque Iudæis, aliarumque, præcipue trium receptorum religionum cultoribus, securitatem priuatorum sacrorum non raro largiantur. Quod quidem, nisi quis directo vel indirecto renunciauerit huic arbitrio, pro ratione status, cuius licitum, quin maxime interdum consultum fuerit. Sic enim, quæ debetur, conscientis libertas cuius relinquitur, & bono publico, vbi illa cautis circumscribitur limitibus, a damno pariter cauetur, prout foederatum Belgium, vbi omnes ferme religiones tolerantur, documento est.

§. VIII.

Præstat ex
necessitate
morali, &
quotupliciter?
Ex iure naturali.

Quæ autem a necessitate morali dependet religionis priuata securitas, nititur vel *iure naturali* vel *gentium*, vel *ciuili*. *Naturali iure* quilibet imperans veræ Christianæ religioni debet securitatem, quam primum illam ipse agnoscit & pro vera habet; licet publice introducere impediatur. Siquidem id postulat natura, cui in ordine ad Deum ita conuenienter viuendum; flagitat ciuium æterna, temporali omni potior, quamquam cum hac facile iungenda, salus; exigit vnice veritatis necessitas. Deinde ex eodem naturali iure priuata

priuata ciuibus debetur securitas, quando salus publica eam requirit, suprema scilicet reipublicæ lex recte æstimata, Bodin. *de republ.* n. 426. Neque enim Principis est, conscientis imperare, & armatis hominibus, quod factum nuper esse in Gallia omnes norunt, ad fidem mentiendam subditos cogere, quia id nequaquam fecit, cum potuisset, Saluator O. M. nec mandauerunt apostoli. Recte sentit Papa: *qui sincera intentione, extraneos a Christiana religione, ad fidem cupiunt rectam perducere, blandimentis, non asperitatibus, studere debent, can. 3. d. 45.*

§. IX.

Ex gentium iure prouenit securitas priuata, si non aliorum, saltem legatorum religionis. Ex iure gentium. Quandoquidem enim gentes naturæ conuenienter viuere debent, conseruationis suæ maximam eas habere curam oportet, quæ non nisi opitulatione mutua, amicitia, commerciis, & id genus aliis, obtinetur, continuatur, restituitur. Omnibus hisce rite atque feliciter peragendis, conuentibus omnino opus est: quos quum vniuersæ celebrare nequaquam valeant, personas, vt ita loquar, repræsentatiuas inuicem admittere necesse habent: quibus ideo ab altera gente præcipi aut iniungi

nihil potest, cum illi totius gentis, aut populi, a quo mittuntur, iura & immunitates præ se ferre credantur; sub quibus etiam religionis ius & exercitium necessario comprehenditur. Conf. Iustinus Presbeuta, *de iure Legat. Stat. Imperii*, §. 124. Dn. Boehmerus *de priuatis Legat. sacr. cap. 2.* Quod in extraneis regionibus ad Statuum Imperii legatos rectissime extenditur, quoniam de maiestate Imperii sine dubio participant. Atque hinc ad ipsos summos imperantes, in aliorum territoriiis agentes, expromptum est argumentum.

§. X.

Ex iure civili Sed & *ciuile ius*, quatenus non priuatum ciuium, sed publicum totius ciuilis societatis, vnius vel plurium imperio subiectæ, statum, & fundamentales leges spectat, priuatæ religioni tribuit securitatem. Sic Imperatorem Romanum merito dixeris præstare eandem in ipsa, in qua sedem suam habet, ciuitate, legatis Statuum Protestantium, ob restitutum his per Instrumentum Pac. Westphal. *Artic. V.* liberum religionis exercitium. Quum enim ius legationis Statibus concessum sit, vt inter alios docet Kulpissius, *de legat. Stat. Imper. c. XIII. §. 8. & passim*; Presbeuta, *c. l. §. 9. seq.* colligas hinc, qui

Imperator
legatis Statuum.

qui eos repræsentant, legatos, eadem, qua alii legati religionis priuata securitate gaudere. Quamquam superioribus hoc sæculis negatum fuisse, in primis a Ferdinando III. Kulpifsius *c. l. c. XXII. §. 5.* memorat. Interim in conuentibus Imperii serio id actum est, testante auctore *der Grundueste des H. Röm. Reichs, Stück. 3. Cap. 3. p. 224.* vt delineationi Capitulationis futuræ (quæ Leopoldina fuit) ad Art. 40. sequentia inferantur: *daß die Reichs-Hofrätbe, in gleichen der Churfürsten, Fürsten, und Stände Agenten, Sollicitanten, Residenten, und sonst anwesende Gesandte, Rätbe und Diener, auch dero Weiber, Wüben, Kinder und Gesinde, das Exercitium ihrer Religion, am Käyserlichen Hofe, und jederzeit befindlichen Käyserlichen Hoff-Lager, haben, zur Information ihrer Kinder Præceptores, wie auch zum Predigen, und Administration der Heil. Sacramente, wie auch Copulation und Begräbnisse, kein Einhalt, Verbot oder sonstene Hinderung geschehen sollen.*

§. XI.

Aliud specimen priuatæ eiusmodi securitatis, Instrumentum Pacis Westphalicæ, Art. V. §. 31. suggerit, verbis: *Hoc tamen non obstante, Statuum Catholicorum Landsassii, Vasalli & subditi, cuiuscunque generis, qui siue publicam, siue priuatum Augustanæ Confessionis exercitium, anno millesimo, sexcentesimo,*

Aliud exem-
plum. *lv. ad
nes nihil
mno lv. mo
Stato
lv. fo. all
solldiq. mo
anno mo*

vigesimo quarto, quacunque anni parte, siue certo pacto, aut privilegio, siue longo vsu, siue sola denique obseruantia dicti anni habuerunt, retineant id etiam in posterum, vna cum annexis, quatenus illa dicto anno exercuerunt, aut exercita fuisse probare poterunt. Et §. 22. Idemque obseruatur ratione subditorum Catholicorum Augustanae Confessionis Statuum, vbi dicto anno millesimo sexcentesimo vigesimo quarto vsu & exercitium Catholica religionis publicum aut priuatum habuerint.

§. XII.

Securitas
religionis
domestica.
Religio do-
mestica quid?

Exercet
eam vel so-
lus, vel cum
familia tan-
tum, vel cum
exteris.
Illa est vel
cum publica
conformis.

Alteram securitatis in priuata religione speciem, domesticam scilicet, considerare nunc ordo postulat. Tuetur ea religionem domesticam, quæ est, ratio colendi diuinum Numen, quam quis inter priuatos parietes, vel solus, vel cum sua tantum familia, non adhibitis solemnioribus, & quod dicitur, essentialioribus religionis publicæ requisitis, orando præcipue, legendo, psallendo, & fidei suæ dogmata tractando, celebrat. Claret ex definitione, hanc regulariter quemque vel solum siue solitarium, vel cum familia sua colere: negandum tamen non est, subinde vsu venire, vt plures, & extra familiam constituti, huic exercitio sese immisceant; securitate tamen plane impari. Quæ enim a solitariis, aut cum familia saltem, exercetur domestica, religio, ea vel cum illa, que publice recepta, conformis, vel

vel *alia* est. Illa merito secura esse debet; quoniam nihil a cultu publice adprobato alienum continet, magisque sic præparantur ciues, vbi recte omnia peraguntur, ad cultum publicum, modo & publica religio verum Deum debita ratione veneretur. Quid enim est, ad quod mortales summo atque sapientissimo huius vniuersi rectori magis obligentur, quam vt sanctissimi nominis sui gloriam, perpetua deuotione quærant, eamque inter homines quauis occasione magis magisque, pro modo datarum cœlitus virium, celebriorem reddant. Sane, quod de imperio domestico recte sentit Bodinus *de republ. Lib. I. n. 23. Illud pietatis, honestatis & virtutum omnium, quibus respublica florere debet, firmissimum esse fundamentum; hoc de vera religione domestica per excellentiam debet pronuntiari. Hinc & ea olim Israelitis permessa fuit, qui peculiare plerumque habuere profectas; de quibus adductus a celeberr. Boehmero, in diff. de priu. legat. sacris c. I. §. 6. Campegius Vitranga, in de synagog. veter. L. I. c. 6. Illuc se conferebant, quoties soli, Deo & conscientia testibus, per familiariores preces cum Numine commercium colebant, aut seruis meditationibus rerum diuinarum incumbabant. Neque vero dubitandum est, quamuis non haberet aliquis ordinarias*

cius-

eiusmodi profuehas, licuisse tamen ei domi suæ eadem ratione verum Deum colere. Inter gentiles potissimum huc spectant domestica Romanorum sacra, quibus genios suos & penates honorabant: vnde Pontificiorum cultum sanctorum tutelarium domesticum originem duxisse, forte non immerito credideris. Sed Christianos cum maxime decet priuatum illud diuini cultus genus; quod & expresse concessit Imperator *Novell. 58. in pref.* fanciens: *si domos ita simpliciter habere putant oportere in sacris suis, orationis videlicet solius gratia, hoc eis permittimus.* Nimirum duplicis generis oratoria habebantur tempore Iustiniani; aliqua enim solius orationis causa erant ædificata; aliqua autem etiam eum in finem, vt ibi eucharistia administraretur. Priora indistincte admittit Imperator, posteriora non admittit, nisi accesserit auctoritas episcopi, & adhibeantur clerici. Add. Ziegler. *de Dote eccles. cap. 2. §. 17.*

§. XIII.

Vel alia, huiusque securitas.

Cæterum etiam domesticam religionem ab ea, quæ publice in ciuitate viget *alienam*, securitate sua donare, nequaquam piaculo sibi ducere debet princeps. Difficile quidem est quodammodo, imperanti limites figere, in cultu

cultu Numinis moderando, recte monente Boeclero, *Diss. polit. XII.* Hinc ipsius omnino relictum est voluntati, velitne subditos alienæ religionis tolerare, an vero suis exire iubere ditio- nibus: melius tamen rectiusque faciet, si nulla eos turbet ratione, modo hi fines præscriptos non transgrediantur, neque sacris suis in ciuitate turbas ciere audeant. Quando autem ciui- tatis rector eos subiectionis fide sibi obligat, inque aliorum ciuium numerum recipit, ad omnem securitatem & defensionem, ipsis ex- hibendam, noua velut ratione obstringetur. Ast quid proderit, externam tranquillitatem saluam esse, nisi & interna, seu priuata, secure frui liceat. Sane, dum Iudaicam gentem in suis oris habitare passi sunt infensi eorum ho- stes Chaldæi, scientes, aliud eos Numen co- lere, prout ex locis, 2. *Chron. vlt. v. 23.* *Esth. c. 2. v. 2.* *Dan. c. 2. v. 47. c. 3. v. 29. c. 6. v. 26.* pate- scit, sine dubio etiam illis priuatæ religionis securitatem concesserunt. Et inter primos Christianorum Imperatores, hæretici quoque ea vsi sunt; diuersa quamlibet ratione, prout et- iam status illorum diuersus erat; quem explicat Anton. Perez, in *L. I. C. tit. 5. de Hæret. Manich. & Samar.* Ipse Turcarum Monarcha, soluto a Chri-
C ftianis

ftianis tributo, domestica eorum tuetur sacra. In Imperio Romano-Germanico, per *Art. Pac. Westphal. V. §. 31. 32. & 35.* inter Protestantes & Catholicos, securitas religionis domestica, æque ac publica, iudicatur ex anno 1624. vt, si quis ea dicto anno vsus sit, eadem & in posterum tuto vti queat. Sin vero subditi postea temporis, ac contra vsus eius anni, mutauerint religionem, relictum est vel arbitrio imperantis, velitne necessitatem emigrandi eis imponere, vel etiam subditorum, an sponte sua fortunarum sedem aliorum transferre velint: vid. *dict. Articul. V. §. 36.* vbi antecedente §. 35. modum etiam determinatum inuenies, quo quidem securitas præstatur sacris priuatis. Eaque ratione facilis est *cit. §. 35. cum seq. 36.* conciliatio.

§. XIV.

Securitas religionis domestica in-teruenientibus extraneis.

Cæterum, quoniam domesticum hoc religionis exercitium domestice saltem est exercendum, itaque sine permissu principis personæ extraneæ, hoc est, extra familiam constitutæ, eidem interesse non possunt. Saperet enim hoc eiusmodi collegium & corpus illicitum, quod in extraordinariis numeratur criminibus, vid. *tot. tit. ff. de Coll. & corp. illic.* Plerumque enim laxa est in priuatis ciuium congressibus disci-

disciplina, vberriamque factionum & seditionum materia. Igitur summis imperantibus incumbit prouidere, ne in ciuitate priuatis conuenticulis, sub quocunq; obtentu, sacro vel profano institutis, ciues aliqui connectantur. Certe in Imperio Romano Germanico ad Instrumentum Pacis Westphalicæ Art. V. §. 34. non possunt prouocare eiusmodi conuentuum auctores & patroni. Recte enim scribit Auctor Meditat. ad *cit. loc.* *Defendi istos conuentus ex hac lege posse vix crediderim, que nihil aliud permittit, quam vt vnus quisque domi suæ deuotioni studeat; non vero, vt plures familia eius exercitii causa vnum in locum, siue publico, siue clam congregentur. Hoc enim non modo magistratui aliquando suspiciones, metumque ex hac hominum coitione incutit, verum etiam aliis offensionis est; imprimis cum nullo sexus discrimine nocturnis temporibus aliqui conueniant.*

§. XV.

Hæc de priuata religionis securitate sufficiant: nunc *publicam* breuiter examinabimus.

Concernit hæc religionem publicam, quam per Religio publica quid? solennem rationem colendi diuinum Numen, auspiciis imperantis, in loco publico institutam, describimus. Ad hanc igitur & solennitatem loci, & institutum publicum requirimus. Vnde manifeste colli-

C 2

gitur,

gitur, pro vere publico religionis exercitio haberi non posse, in quo alterutrum eorum, quæ dixi, requisitorum desideratur; quod multis exemplis illustrare, non est operæ pretium.

§. XVI.

Securitas religionis publica quid? Per securitatem vero religionis publicam intelligimus *conditionem cultus diuini publici, secundum quam in ciuitate, vel ditone aliqua, tuto exercetur, atque ab imperante defenditur.* Conuenit in eo cum priuata, quod & ipsa ab imperio ciuili tutelam suam atque protectionem habeat, ita quidem, vt hæc Quotuplex? nunc ex officio, nunc ex peculiari *sponsione, seu promissione, præstetur.*

§. XVII.

Officium imperantis quid? Officium imperantis est *necessitas moralis, agendi id, quod cum sine ciuitatis, subiectorumque salute, conuenit.* Oritur hæc necessitas moralis partim ex legibus *diuinis, partim ex humanis.* Secundum illam ante omnia veræ quidem, sed suo modo tamen etiam falsæ atque schismaticæ religionis securitatem publicam recte præstat; quoniam inter reseruata Numinis referendum est conscientiarum imperium, atque a tyrannide vix alienum facinus, intellectum cogere velle. Compa-

Compara Henric. ab Henniges, *de summa Imper. pot. circa sacr. c. 5. §. 67. p. 30.*

§. XVIII.

Quæ ex officio imperantium oritur securitas in *externam & internam* dispescitur. *Externa est conditio cultus diuini publici, secundum quam ille in ciuitate aliqua tuto exercetur, atque ab imperante, contra vim hostilem, aliasve turbas erternas, defenditur.*

Securitas ex officio Imperantium vel externa est vel interna.

Hanc omnes imperantes religioni publicæ præstare par est: siquidem ex illis ipsis, qui eam colunt, hominibus ciuitas constat. Quod si autem rebus publicis constitutis ideo a Deo dati sunt principes, vt omnibus ciuibus, vna cum rebus & familiis suis, secure agere, & libertate tranquilla frui liceat, Vlricus Huberus, *de iur. ciu. L. III. sect. 3. c. 3. §. 2.* cur hoc ad religionem, qua hominibus nihil prius, nihil antiquius esse debet, non æque posset extendi? & cum res mundanæ defendantur, multo magis pretiosissima religio sua gaudere tutela debet. Io. Ott. Tabor, *de regim. imper. eccl. sect. I. th. 25.*

§. XIX.

Per internam securitatem publicam intelligimus *conditionem cultus diuini publici, secundum quam, contra iniurias & turbulentas mutationes domesticas, ab imperante*

Securitas publica interna quid?

perante defenditur. Nititur vero illa legibus in hanc rem exstantibus, & obseruatione curata vtriusque earum partis, dispositiuæ scilicet & vindicatiuæ. Egregium huius rei specimen in libro Esræ habetur, vbi Rex Darius Iudaicæ religionis securitatem lege, laquei pœnam minitante, munierat, *cap. 6. v. 11.* Circa tales leges notandum est, vel diuinas eas esse, vel humanas, hasque vel conuentionales & ciuitatis fundamentales, secundum quas omnes *necessaria* vocanda erit nostra securitas, ab imperante solo nunquam omittenda; vel proprie sic dictas, seu a mero principum arbitrio pendentes, hinc *voluntaria* oritur defensio; quæ tamen ipsa etiam sine graui causa non est mutanda. Et quidem condendis legibus huc spectantibus consultum erit adhibuisse orthodoxorum Theologorum consilium, Io. Ott. Tabor, *de reg. imper. eccles. sect. I. th. 20.* Herm. Conring, *de concil. & circa ea sec. potest. auctor. thes. 8. seq. & thes. 20.*

§. XX.

Interna tripliciter consideratur.

Interna religionis publicæ securitas triplicem nobis suggerit considerandi modum. Primus est, ratione personarum religionem exercentium; secundus, ratione ipsius cultus, quem alias

alias liturgiam vocant; tertius autem ratione
ipforum fidei capitum & articulorum.

§. XXI.

Ex sua natura vtriusque securitatis, & in-
ternæ, & externæ conseruatio, ab imperantibus
coniunctim curari potest & debet. Sicuti
enim respectu politico ecclesiæ quoque capita
recte appellantur ab illust. Thomasio ad Vlruc.
Huber. *de iur. ciu. L. I. sect. V. c. 3. n. 51. not. d.* & pa-
storibus comparantur Esaiaë 44. v. 28. Ierem.
49. v. 19. Ita non tantum subiectos suos, reli-
gione vtentes, ab externis iniuriis defendere;
sed &, si quæ interne quomodocunque circa
eam ingruant mala & corruptiones, eorum
salutem omni diligentia promouere studeant.
Quo nomine etiam recte dicitur ab Impera-
tore Theodosio, Cæsarei iuris esse, vt non so-
lum pacifice, sed & pie viuere contingat subdi-
tis. Vid. Brunemann. *Comment. in Cod. L. I. tit. I.*
ad rubr.

Imperantes
securitatem
internam &
externam
coniunctim
præstant.

§. XXII.

Exempla si desideres, ipsos primos Im-
peratores, ex quo Christianam fidem ample-
xi sunt, hanc curam suscepisse, certissimum est.
Et quidem vel in solis vtriusque Codicis no-
stri, Theodosiani sc. ac Iustiniani, vt & No-
uella-

Exempla
priorum Im-
peratorum
Christiano-
rum remissi-

uellarum Constitutionibus, luculentissima occurrunt eius rei testimonia. Ex quibus hoc etiam intelligere licet, non externam solummodo, sed internam quoque securitatem ac tranquillitatem Christianæ ecclesiæ præstitisse Augustos.

§. XXIII.

Imperatoris
Romano-
Germanici
generalis
Aduocatia.

Vtriusque generis securitatem hodieque in Imperio Romano-Germanico certo respectu præstat Caput sacratissimum, Imperator Augustissimus, quod quidem iure *aduocatie generalis* agere tenetur, de qua vid. D. Beckius in *diff. de triplici Aduocat. Imperat. Ecclesiastica*, c. 2. vbi §. 9. ita pronunciat: *Consistit Aduocatia generalis potissimum in hoc, ut omni virium contentione annitatur Imperator, quo in Imperio Romano-Germanico, inter eiusdem pariter ac diuersæ religionis socios, tranquillitas & concordia civilis conseruetur, vexationes contra, aliæque iniuriæ, siue per externam vim & oppressionem, siue scriptis, aliisque modis illata, pro meritis cõerceantur; exorte autem inter eos controuersie, per legitimos iuris ac iustitiæ tramites, procul omni partium studio, celeriter definiantur, eaque ratione legum publicarum sanctiones vbique custodiantur, denique, ut etiam ab exterorum hostium insultibus libertas ecclesiarum Germaniæ defendatur. Et circa internam quidem securitatem notandum est, illam ab*
in-

inuictissimo Imperatore præstandam esse secundum modum Pacis Westphalicæ, quæ præcedentium omnium tractationum, & veluti Pacis religiosæ, Augustæ Vindelicorum Anno 1555. initæ, complementum videtur. Opus autem protestatione illa & securitate iis præfertim casibus est, vbi Status ipsi tranquillitatem ecclesiæ, saltem in suis terris, turbare sustinent. Huius rei manifestum hoc tempore in Palatinatu Rhenensi cernitur exemplum: cuius quidem causæ integram narrationem doctissime, additis documentis, persecutus est, excellentissimus Struvius, *in der Pfälzischen Kirchen-Historie, c. 14.*

§. XXIV.

Sed etiam Status Imperii Romano-Germanici securitatem religionis publicæ, externam & internam, ex officio præstant. Vtriusque illius fundamentum est superioritas territorialis, quæ non solum in causis secularibus, sed & in ecclesiasticis, vim ac potestatem suam exerit. Et de externa quidem securitate, quandoque etiam armorum virtute præstanda, res satis est manifesta. Vid. Dn. de Cocceii, *in iurisprud. publ. c. XXIII. §. 29.* D. Schwederus, *in introduct. in ius publ. sect. II. c. 16. n. 123.* Internæ vero securitatis

Securitas religionis a Statibus Imperii præstat.

D

curam

curam potissimum gerere debent principes nostri, ex recuperata summa circa sacra potestate, quam episcopalem, quin potius papalem, ea ratione dixeris, quod in Status, præcipue Protestantes, ea iura Politico - ecclesiastica reuersa sint, quæ vsurparunt antea episcopi & Pontifices Rom. Qua ratione, quod fecit Henricus VIII. Angliæ rex, quilibet in suo territorio Papam se appellare poterit. Cæterum securitatem internam non parum iuuat *ius reformandi*, hodie in *Art. V. §. 30.* Instrumenti Pacis Westphalicæ fundatum. Cuius ratio ex *§. 2. dicti Articuli V.* aliisque passim, petenda est. Consistit præcipue in instituenda, ornanda, & defendenda religione illa, quæ anno 1624. fuit exercita, ita, vt inuitis subditis mutari nequeat; & coercenda religione aliena, corrigendisque abusibus, denuo irreperere incipientibus. Compara Auctorem *Meditat. ad Instr. Pac. Westph. Art. V. §. 30. not. 1.* Spicil. Obseruat. in Capitul. Caroli VI. *in append. p. 366.*

§. XXV.

Securitas religionis ex sponcione imperantium.

Nunc tandem ea religionis publicæ securitas, quæ ex *sponcione*, seu promissione imperantium firmatur, succincte venit exponenda.

Sunt

Sunt autem eiusmodi sponſiones *actus imperantium externi, quibus civitatem quandam, vel certas etiam personas, expressis verbis certiores faciunt, se religionis recepta securitatem publicam curaturos, & neque ipsos eidem quidquam detracturos, neque, ut per alios fiat, passuros esse.*

§. XXVI.

Ex his sponſionibus securitas descendit *nunc propria, nunc impropria. Propria est conditio cultus diuini publici, ex peculiaribus imperantium sponſionibus orta, secundum quam vasalli & subditi alicuius regionis libero eius exercitio vtuntur, atque contra iniurias defenduntur.*

Est vel propria, vel impropria.

§. XXVII.

Inutiles vero, aut saltim minus necessarias *hasce sponſiones reputare posses, quandoquidem ex officio, ad præstandam religionis securitatem, imperantem obligatum esse, supra dictum est. Enimvero insignibus quoque eas se commendare vsibus patet. Namque, uti pactis & stipulationibus etiam firmari possunt, quæ iam ex iure naturæ debentur, duoque fortius ligare censentur vincula; ita quoque laudatis sponſionibus subditorum deuotio & fidelitas mirum in modum augetur & roboratur, quando clementissima ipsorum principum*

Sponſionum religionis utilitas & necessitas.

voce in religione securi & ab omni timore vacui esse iubentur; eaque ratione haud raro maximas periculosissimasque sopitas esse turbas ac seditiones, ex historiarum monumentis cognosces. Inprimis vero singularem vtilitatem præstant eiusmodi sponfiones in rebus diuini cultus, quæ in ipsis Scripturis sacris non sunt determinatæ, sed ab arbitrio principis dependent; & quas tamen nullo pacto mutari ordinum prouincialium magnopere videntur interesse.

§. XXVIII.

Sponfiones
religionis
aliæ sunt iu-
ratæ, aliæ
non iuratæ.

Sponfiones, quæ propriam securitatem stabilire solent, vel *iurata* sunt, vel *non iurata*. Iuratas dico *actus principum externos, quibus, se religionis publicæ securitatem præstituros, expressis verbis, iurandi etiam religione firmatis, vasallis ac subditis suis spondent*. Hoc iuramentum, quamuis nouam obligationem quoad substantiam non producat, quoniam, si iustum est, quod imperans iuramento promittit, tenetur illud præstare, quantumuis non iuret; Mynsing. *singul. Obseru. cent. 1. Obs. 17. n. 2.* Arnisæus, *de iur. maiest. c. 6. n. 6.* non tamen negligendum est, quia saltem maiorem, adeoque nouam quoad gradum, inducit obligationem, conscientiamque arctius stringit, Ziegle-

Zieglerus *de iur. maiest. Lib. I c. 43. §. 5.* Huberus *de iur. civ. L. III. sect. I. c. 2. §. 40.* Neque vero talis iurata sponsio summitati maiestatis veræ, vel analogice sic dictæ, quidquam detrahit; quia ea nequaquam coacte præstatur, quod contra eius dignitatem foret, saltemque exercitii modum determinat, & quidem liberrima ex ipsius principis voluntate, *aus freyen gnädigsten Willen*, uti Capitulationes Cæsareæ comprobant.

§. XXIX.

Sunt vero porro talismodi sponsiones Iuratæ sunt aliæ nude *verbales*, aliæ *scriptis conceptæ*. Illarum vel verbales, vel scriptis conceptæ. exempla frequentissimæ occurrunt, & specimina quædam collegit Arrisæus *cit. loc. c. 6. n. 3.* Cui addi omnino meretur Wilhelmus de Winterfeld, *in der Teutschen Politica P. II. c. 4.* Ast iuratarum sponsionum scriptis conceptarum illustrissima specimina habentur in Capitulationibus Imperatorum Romano-Germanicorum, inter quas conferatur nouissima, *Art. II. et XIV.*

§. XXX.

Non iuratarum religionis publicæ sponsionum, quarum vigorem, quamdiu fieri poterit, ex iure naturæ, quod promissa seruanda De sponsionibus non iuratis.

D 3

esse

esse præcipit, sustentabit imperans, maximam hinc inde inuenies copiam; inprimisque ab eo tempore, quo per ministerium B. Lutheri restituta fuit vera salutaris doctrinæ indoles, earundem vsus frequentissime inualuit. Suntque illæ promissiones, æque ac iurata, aliæ nude verbales, aliæ scriptis conceptæ. In harum numero præcipue habenda est sponso Rudolphi II. Imperatoris, Statibus regni Bohæmici, Augustanæ Confessioni addictis, Pragæ 1609. nec non Matthiæ Imperatoris, Statibus Lusatiae superioris, Budissæ d. 5. Sept. 1611. facta, vid. Ahasu. Fritschius, *de litter. reuersal. c. 2. §. 9. seq.* itemque conuentio inter Iosephum Imperatorem, & Carolum XII. Suecorum Regem, Altranstadii 1707. inita, qua ille securitatem religionis antiquam Silesiis, euangelica sacra professis, postliminio restitutum defensumque iri, promisit. Conf. *die Europæische Fama, im 70. Theil p. 724. seq.* Eiusdem generis in Gallia erat notissimum illud Edictum Nannetense, quod Rex, Henricus IV. Pontificiûs factus, in securitatem religionis, quam antea coluerat, Reformatae, proposuit, de quo Weismannus *in Histor. Eccles. Sec. XVI. part. post. p. 269.* scribit: *libertas religionis tandem obtenta & confirmata est ab Hen-*
rico

rico IV. per celebre illud Edictum Naunnetense, maximam partem concinnatum ex Edictis prioribus.

§. XXXI.

In Imperio Romano - Germanico a Statibus sponſiones ſecuritatis religionis publicæ fieri & poſſe & debere, nemo, niſi rerum ignarus omnium, negare ſuſtinebit. Idque non tantum obtinuit eo tempore, quo primum liberam facultatem, ratione legitima reformandi eccleſiam, excuſſo Pontificii dominatus iugo, recipere aggreſſi ſunt; verum etiam poſtquam per varias Leges Imperii fundamentales, vtpote Transactionem Paſſauienſem, Pacem religioſam, & demum Weſtphalicam, ſecura ſatis reddita eſt religio. Neque enim exiſtimandum eſt, per publicas illas tabulas, in religionis ſecuritatem propoſitas, ſuperuacaneas veluti ac otioſas eſſe redditas peculiareſ illas procerum ſponſiones. Notiſſima quippe in Imperio noſtro ſunt exempla imperantium, qui, relicta priore religione, aliam amplexi ſunt, a quibus proinde metuendum erat ſubditis & vaſallis, ne contra priſtinam religionis formam ſtatumque fieri aliquid vel patiantur, vel iubeant. Quapropter conſultum viſum eſt imperantibus, nunc motu proprio,

De ſponſionibus religionis Statuum Imperii.

prio, nunc ad instantiam ordinum prouincialium, securitatem religionis, in illa regione publicæ ac velut patriæ, spondere, eaque ratione demulcere animos ciuium, amoremque & deuotionem illorum ita conferuare, vt tali modo pax interna atque tranquillitas subsistat. Accedit etiam hoc, quod si forte exercitium religionis, diuersum paullo ab eo, quod anno 1624. fuit, inualuerit, & hinc ab imperante ad antiquum statum reduci possit, tunc virtute talismodi sponsionum obligetur princeps, ne quid mutet. Illæ enim ex mutuo consensu imperantium & subditorum plenissimum suum vigorem accipiunt, *conf. Art. V. §. 31. Instrument. Pacis Westphalica.* Quin, licet religionem non mutare velit imperans, potest tamen per dictas sponsiones de sua, quam iure tenet, potestate, in maiorem religionis securitatem, remittere quidquam, iuribusque renunciare, quæ alias in eius arbitrio posita erant; aut saltem certum iis statuere modum. Cuius generis sunt: de non adsciscendis ministris alienæ religionis; de non concedendis feudis personis illis, quæ a patria religione dissentiunt; de non admittendis illis ad prædiorum prouincialium acquisitionem, & quæ sunt plura alia.

Conf.

Conf. Auctor *Medit. ad Instr. P. W. Art. V. §. 31.*

n. c. p. §. XXXII.

Cæterum, vt exempla quædam annectamus, diuerſas talismodi ſponſiones inuenimus in Palatinatu Rhenenſi, vtpote, Ottonis Henrici, Principis Neoburgici, Anno 1554. Statibus Neoburgicis datam; Philippi VVilhelmi Electoris, d. 13. Octobr. 1685. Heidelbergæ factam; de quibus, & aliis, quas ſtudio prætermittimus, conſulas excellentiſſimum Struvium, *in der Pfälziſchen Kirchen-Hiſtorie.* Quod ad Electores Brandenburgicos, notum eſt Edictum Ioannis Sigismundi, anno 1614. ab Euangelico-Lutherana ad Reformatam religionem ſecedentis. Eo etiam loco habenda ſunt edicta Friderici Wilhelmi, de anno 1662. & 1664. de quibus vide illuſtr. Thomafium, diſſ. *de felicitat.*

ſubditur. Brandenburg. ab emendat. per edicta. Statum eccleſ. & polit. pag. 7. 8. 9. In Electoratu Saxonico nominaffe ſufficiat Aſſecurationes religionis potentiffimi Poloniarum regis & Electoris Saxonix, Friderici Auguſti, tum Lobskowæ 1697. tum Dresdæ 1705. d. 24. Aug. & 1718. d. 6. Maji promulgatas. Quibus addimus, Sere- niſſimi Ducis Saxo-Gothani, Patriæ Patris

E

clemen-

clementissimi, Principis pii atque felicitis, spon-
sionem de securitate religionis publicæ, quam
in comitiis prouincialibus, d. 27. Nov. 1718. Al-
tenburgi, inclutis Ordinibus Ducatus Alten-
burgici dedit, his verbis clementissimis con-
ceptam :

Von Gottes Gnaden, Wir Friedrich, Hertzog zu Sach-
sen, Jülich, Cleve und Berg, auch Engern und West-
phalen, Landgraf in Thüringen, Marggraf zu Meissen,
gefürsteter Graf zu Henneberg, Graf zu der Marck und
Ravensberg, Herr zu Ravensstein und Tonna, &c. Von
wegen des Durchlauchtigsten Fürsten und Herrn, Herrn
Iohann Ernsts, Hertzogs zu Sachsen, Jülich, Cleve und
Berg, auch Engern und Westphalen, Landgrafens in Thü-
ringen, Marggrafens zu Meissen, gefürsteten Grafens zu
Henneberg, Grafens zu der Marck und Ravensberg, Herrns
zu Ravensstein &c.

Und vor Uns, hiermit ubrkunden und bekennen, Demnach
eine getreue Landschafft hiesigen Fürstenthums, an Ritter-
schafft und Städten, unter dem 22. Novembr. nechstbin un-
zerthänigst angesuchet, daß wir, zu immerwährender Fort-
stellung der Evangelischen Lutherischen Religion, und deren
alleinigem Exercitio in unserm Fürstenthum Altenburg, nach
Anleitung der Fundamental-Verfassung desselben, eine ver-
bündliche Versicherung und Erklärung ausstellen möchten;
Und wir uns zu allen demienigen, was zu Gottes Ebre, und
solcher reinen Lehre Beförderung, und immerwährender
Erhal-

Erhaltung, und zu künfftiger Sicherheit angedeyen kan, von selbst genügt, und hierunter keinen Anstand finden;

Als thun wir solches, in vim Sanctionis pragmatica, & Legis perpetuo valitura dahin, daß nicht alleine alle von denen hohen Vorfahren, und Uns, bey angetretener Regierung, und Landes-Zusammenkünfften, auch sonst einer getreuen Landschafft dieses Fürstenthums gegebene theureste Versicherungen, ihre unveränderliche Krafft behalten, und nochmahln, als ob sie von Wort zu Wort widerbolet, erkant seyn sollen, sondern wir wollen auch, von wegen unsers Herrn Veters zu Saalfeld Lbd. und vor Uns, Unsere Erben und Nachkommen, auch alle Successores am Regiment, Uns dahin gnädigst erkläret und verbunden, auch mit einer gesamten getreuen Landschafft dieses Fürstenthums dahin verglichen und vereiniget haben, daß der Status der Evangelischen Lutherischen Religion in diesen Landen, sowohl was die Lehre an sich selbst, als die Kirchen-Ceremonien, Gebäude, Stiftungen, und alle andere Annexa, sie haben Nahmen wie sie wollen, betrifft, inæm durch die Reichs-Grund-Gesetze, und insonderheit den VVestphälischen Friedens-Schluß, festgestellten unveränderlichen Zustand, nach der Norm des 1624sten Jahres, und wie solche in diesen Landen, nach dessen angezogenen Verfassung, sich gegenwartig, ohne Exercitio und Zulassung einer andern Religion, befindet, beständig, ohne die geringste Veränderung, verbleiben, und folglich niemahln ein simultaneum Exercitium einer andern, als der Evangelischen Lutherischen Religion, im Lande und

E 2 Kirchen,

Kirchen, weder publice, noch priuatim, verstatet, auch niemand in Collegia, und andere öffentliche Ehren- Aemter, wie die auch Nahmen haben, es seyn solche in Geislichen, VVeltlichen, Civil- oder Militar- Bedienungen, admittiret werden soll, er habe denn zuvor den Religions- Eyd, auf die unveränderte Augspurgische Confession, und andere Libros Symbolicos, würcklich abgelegt. Da auch jemand zu einer andern Religion sich begeben, ist er dadurch so fort seiner Function, krafft dieses Pacti, erlassen, auch niemand zu Besetzung Lehn- Ritter- und anderer unbeweglicher Güter, und Grund- Stücke, es kommen solche durch Mitbehn- Aenderungsvvandschaft, natürliche Succession, dem Lehn- und Erbgangs- Rechte nach, oder in andere VVege an ihn, sähig, er sey denn obgedachter Evangelischen Lutherischen Religion zugethan, jedoch bleibet denen von vViedriger Religion allerdings frey, dergleichen Anfälle unbeweglicher Güter, binnen gewisser Zeit, so nach Unterscheid der VVichtigkeit derer Güter, und andern Umstände, von jedesmahliger Landes- Herrschafft zu determiniren, zu verkauffen, und den VVerth (jedoch unbeschadet derer Mitbehnnten Rechts, vvegen VVieder- Anlegung eines Lehn- Stammes) in gefälligen Nutzen zu verwenden, die Erscheinung bey Land- und Ausschuß- Tügen aber, ingleichen der Zutritt zum Bürger- Rechte, Admissio zu Innungen, und dergleichen, ist ihnen keines- vveges zu gestatten. Uhrkundlich haben vvir diese Versicherung, mit unserer Fürstlichen Hand und Siegel vVissentlich

lich vollzogen, und denen getreuen Ständen ausgestellt. So
geschehen Altenburg, den 27. Nouembr. Anno 1718.

Friedrich, Hertzog zu Sachsen.

§. XXXIII.

Securitas religionis publicæ *impropria* est, Securitas religionis publicæ impropria. quam imperans quidam ciuitati alienæ, & ipsius potestati non subiectæ, præstat. Eaque non minus *externa* est, quam *interna*; postulante quippe necessitate, eam non solum contra externam vim hostilem, sed & certa ratione contra internos motus defendere tenetur princeps. Refero huc illam securitatem, quam ex aduocatiæ iure Imperatores Romano-Germanici, secundum Articulum I. Capitulationum, præstant Pontifici Romano. Cui addo, quod ex eodem articulo I. integro Christiano orbi, securitatem & defensionem promittere videantur Imperatores, vi aduocatiæ ecclesiasticæ vniuersalis. Cuius originem ex male intellecta aduocatia Pontificia deducit Limnæus, ad Capitul. Caroli V. Art. I. voc. Kirche, als derselben Advocat.

E 3

§. XXXIV.

§. XXXIV.

Conclusio.

Et has quidem theses speciminis inauguralis loco proponere volui. Prolixiorem commentationem variæ impediunt causæ. Deo interim pro præstita adhuc religionis securitate, & aliis beneficiis, merito dicimus laudem honorem, & Gloriam sempiternam.







Jena, Diss., 1722 (1)

TA-OL

Bd. 1

f

ULB Halle
004 766 555

3







DISSERTATIONEM INAVGVRALEM
DE

SECVRITATE RELIGIONIS

AVSPICIIS DEI OPTIMI MAXIMI

RECTORE ACADEMIAE IENENSIS MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

DOMINO

WILHELMO HENRICO

DVCE SAXONIAE, IVLIACI, CLIVIAE, MONTIVM
ANGARIAE, WESTPHALIAEQVE, RELIQVA

SVB MODERAMINE

IOANNIS PHILIPPI SLEVOGTII, D.

SERENISSIMIS SAXONIAE DVCIBVS ERNESTINAE PROSAPIAE
A CONSILIIIS AVLICIS, ACADEMIAE SENIORIS, ANTE-
CESSORIS ET COLLEGIORVM IVRIDICORVM PRAESIDIS
ORDINARIJ CVRIA EQVE PROVINCIALIS
ASSESSORIS

*PATRONI ET PROMOTORIS SVI PIA ANIMI
VENERATIONE COLENDI*

PRO LICENTIA

SVMMOS IN VTROQVE IVRE HONORES ET PRIVILEGIA
DOCTORALIA RITE CAPESSENDI

IN AVDITORIO IVRECONSVLTORV
DIE SEPTEMBERIS MDCCLXXII

HORIS ANTE ET POST MERIDIEM CONSVETI
BENEVOLAE ERVDITORVM VENTILAT

SVBIIICIT

FRIDER. ERNESTVS GABLERVS

HARTENRODENSIS

PRAEFECTVRAE ALTENBVRGENSIS ADVOCATVS.

IENAE LITTERIS FICKELSCHERRIANIS.

